Vol. III. — Fasc. IX. 8 decembris 1930.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

Caput ac veluti summa totius huius fasciculi « Memorabilium », quem ad universam Societatem mittere festinamus, sint grati animi in Deum affectus, qui ex rebus gestis quas narramus in omnibus sine dubio erumpent, sollemnem inaugurationem dicimus Novarum Aedium Gregorianae Universitatis; cui additur etiam Instituti Orientalis nova facta et aperta Bibliotheca.

I.
NOVARUM AEDIUM PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE INAUGURATIO
(6-8 novembris 1930).

Pauci adhuc dies sunt, cum magnum illud novum aedificium, quod infra lentius describemus (1), quodque ex imis ad excelsa deducere tantae molis erat, quantae etiam adumbrare curabimus (2), absolutum iam et praeparatum dici potuit.

Et illuxit tandem ille per tam multos annos exspectatus dies 6 novembris 1930 quo Pontificia Universitas Gregoriana novas suas aedes sollemniter erat ingressura.

Hora 9 amplissimum S. Ignatii templum adivimus, quod tantorum Collegii Romani illustrium factorum testis fuit et monumentum perstat, plenum duobus illis fere milibus alumnorum qui ex toto orbe terrarum nuper convenerant, et sua illa vestium pulcra varietate, plus 50 nationes et fere 80 Instituta repraesentant,

(1) V. infra, pp. 562-567.
(2) V. infra, pp. 571-574.

quorum alumni in hoc « omnium nationum seminario » sacram doctrinam moresque sacerdotales addiscunt et exercent.

Magna vocum concentione ab omnibus missa de Spiritu Sancto cantata est et peculiaribus precibus eiusdem Spiritus S. gratia rogata ad novum cursum studiorum ineundum, sacra litante Excellmo. DD. Paulo de Huyn Patriarcha Alexandriae Latinorum, assistentibus nonnullis PP. Professoribus.

Tunc ad forum *della Pilotta* est itum, huius enim plateae latus orientale efficiunt novae aedes Gregorianae, habentque ideo e regione Institutum Biblicum, quod eiusdem plateae latus occidentale claudit; non enim sine providentia accidit ut hae duae Sapientiae sedes, vicinae collocatae, operam sibi auxiliumque inter se in Ecclesiae defensionem offerrent; nec fortasse significatione caruit, quod, nocte post inaugurationem prima, e tecto Biblici Instituti i. e. S. Scriptura, reflectores duo validissimi totam Universitatis Gregorianae faciem i. e. S. Theologiam, splendidissime collustrarent, adeo ut ex omnibus Romae eminentioribus locis conspiceretur; Roma significat totum orbem catholicum.

In ea igitur platea, ita omnes ordinati sunt, ut via quaedam aperta relinqueretur ex Instituto Biblico ad novas aedes, hinc vero et inde omnes alumni collocarentur, religiosi ad dextram, reliqui ad sinistram, ad calcem vero novi aedificii ii consisterent qui singulariter invitati fuerant.

Quod large pluebat, quodque apertis umbrellis unus totius multitudinis color apparebat, id commoditatem minuere potuit, gravitatem rei potius augebat et commendabat.

Hora veluti 11 egressus ex Instituto Biblico Emmus. Cardinalis Caietanus Bisleti, Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus Praefectus, qui Summi Pontificis partes ex officio agebat, processit ea quae facta erat via, comitatus Praefecto et Magistro Caeremoniarum Pontificiarum (Rev. Dominis Carolo Respighi et Henrico Dante), quos tota illa venerabilis cohors Magistrorum sequebatur Universitatis Gregorianae, Instituti Biblici, Instituti Orientalis.

Patuerunt tunc ternae illae amplaeque fores, rubroque super tapete progressi, excepti sunt in ipso vestibulo a Patre Nostro et Superioribus Universitatis, quibus se statim addidere Emmi. Cardinales aliique insignes viri qui huic festo peragendo convenerant. Iamque illa tanta vis hominum, corona simul et flos atque

spes Ecclesiae Catholicae, ingressa est recta in aulam et distributa in loca singulis designata.

Considit in media tribuna Emmus. Praesul, habetque iuxta se dextra quidem RR. DD. Ioannem M. Zonghi Archiepiscopum tit. Colossensem et Comitatus Sodalitii Gregoriani praesidem, Patrem Nostrum Generalem, et P. Iosephum Gianfranceschi (Prov. Rom.) Rectorem Universitatis Gregorianae; sinistra vero RR. DD. Michaelem d'Herbigny S. I. (Prov. Camp.) Episcopum tit. Iliensem et Praesidem Pontificii Instituti Orientalis, P. Augustinum Bea (Prov. Germ. Sup.) Rectorem ac Praesidem Pontificii Instituti Biblici, et P. Dominicum M. Palermo Lazzarini (Prov. Rom.) Praefectum Studiorum Universitatis.

Habent e regione et prospiciunt ex eo edito loco, praeter Magistros et alumnos praeterque nostram Curiam, quae tota fere aderat, lectissimam auditorum frequentiam, qui omnes amanter a Patre Nostro Patribusque Boetto, Stravino, Miccinelli, Garagnani excepti fuerant et in primis sedilium ordinibus collocati. Infinitum esset cunctos recensere, idque nobis et gratum simul et dolendum, sed dedecet aliquos saltem non commemorare.

Aderant enim et laeti ea ratione suum Societati gaudium proferebant Emmi. Cardinales Basilius Pompilj, Aloisius Sincero, Eugenius Pacelli, Franciscus Marchetti-Selvaggiani, Raphael Carolus Rossi, Camillus Laurenti, Alexander Verde, qui omnes, si primum et postremum excipias, olim Universitatis alumni fuerant sicut etiam Eminentissimus Bisleti, atque adeo ipse Summus Pontifex Pius XI.

Aderant Illustrissimi ac Reverendissimi Domini bene multi: Caccia Dominioni, Pizzardo, Ottaviani, Arborio Mella, Migone; praeterea Excellmus. Camillus Serafini Gubernator Urbis Vaticanae, Dux generalis Goggia pro militari Urbis corpore; Rectores Pontif. Seminarii Romani Maioris, Pontif. Collegii de Propaganda Fide, Pontif. Seminarii Lombardi, Pontif. Seminarii Romani pro Studiis Iuridicis, itemque Rector Collegii Angelici O. P., principes Barberini, Borghese; Actionis Catholicae, artis, academiarum multiplices repraesentantes; Excell. DD. Hugo et Franciscus Boncompagni-Ludovisi, Romae hic Gubernator, S. R. Ecclesiae ille Vicecamerarius, qui specialibus sedibus consederant; aliique porro multi.

Egregia sane frequentia et digna prorsus in quam cadant

uberrima benedictio et auguria sensaque intima Summi Pontificis. Vibrantibus igitur bucinis pontificalibus et religioso silentio facto, surrexit Eius nomine Legatus, amplissimisque verbis Sanctitatis Suae et propria sensa deprompsit, laudibus simul extollens res nobilissimas gestas et viros virtute doctrinaque praestantes in fastis Universitatis Gregorianae, ut in ipsa eius oratione, quam in hunc ipsum fasciculum inseruimus (1), omnes legere et videre possunt.

Toti contioni et identidem praecipuis eius partibus magna est approbatio significata diuturnis plausibus; interiectoque cantico, facta est benedictio Domus et Aulae ipsius, in qua versabamur, ab ipso Emmo. Cardinali vestibus sacris induto; scholae deinde suam quaeque benedictionem acceperunt, propriam etiam crucifixi imagines in ligno affabre exculptae, quae singulis scholis affixae statim sunt.

Quibus peractis et sedente iam in solio Emmo. Cardinali, P. Rector Universitatis Iosephus Gianfranceschi ardentem dixit orationem, qua omnium qui praesentes aderamus, totiusque in orbe terrarum Societatis dispersae, atque adeo eorum qui olim in hac Universitate scientiam virtutesque sacerdotales hauserunt, personam gerens, primum gratias egit ferventissimas Summo Christi Vicario ob innumera benignitatis signa, et ob amorem quem tum maxime per suum Legatum ostendebat Universitati; amplissimis etiam verbis est gratulatus Emmis. Cardinalibus illic praesentibus, qui tanta erant de nostra Gregoriana meriti, et Archiepiscopis et Episcopis et Praelatis et Superioribus Ordinum Religiosorum, et Rectoribus et Praesidibus Universitatum et Institutorum.

Tum lingua itala conversus ad duos viros principes quos dixi e familia Boncompagni-Ludovisi, inter animi grati sensus opportune commemoravit, quantum duo illi eorum maiores, Gregorius XIII (Boncompagni) et Gregorius XV (Ludovisi), de Societate nostra et de Gregoriana fuissent mirifice meriti: ille Collegio Romano aedificando instruendoque; hic, qui primus fuit e Collegii Romani alumnis ad S. Petri Cathedram evectus, S. Parente nostro in Album Sanctorum recensendo, cuius nepos Cardinalis Ludovisius S. Ignatii templum magnificentissime exstruxit. Grates etiam datae sunt benefactoribus cunctis, et preces promissae, mentioque fa-

---

(1) V. infra, pp. 579-582.



PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA
Conspectus generalis et Frontis Media Pars.



PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA
Sollemnis Inauguratio.

cta architecti Iulii Barluzzi qui ex officio toti operi construendo praefuerat; ac tandem, Summi Pontificis Legatum iterum alloquens, sollemni illic confessione protestatus est, talibus auspiciis Universitatem Gregorianam semper Sanctae Sedi fidelissimam futuram, progressum scientiarum ad fidei defensionem promoturam, nuntiatae iam Constitutionis Apostolicae paescriptis oboedituram, et cum Instituto Biblico cumque Instituto Orientali, communi consilio, omni ope et contentione A.M.D.G. adlaboraturam.

Plausus separaverunt hanc contionem ab ea quam mox Rev mus. et Illmus. D. Zonghi habuit, sensa referens antiquorum alumnorum, ubi se fidelissimos amantes ac defensores Almae eorum Matris eiusque disciplinae et exemplorum profitebantur. Nam cum sibi ipsi gratularetur de accepta a PP. Nostris educatione sacerdotali in hac Universitate, gratias agebat Deo et cunctae Societati ob ingentem progressum quem suis oculis longa iam vita perspexerat, et maiora etiam tum augurabatur, ope omnium magistrorum et alumnorum, quibus illa commemorabat verba Patris Franzelin, initium cursus de Eucharistia olim facientis: « Studere debemus non solum ut acquiramus scientiam, quae potest esse etiam in malis, sed praecipue ut augeamus in nobis caritatem, quae non potest esse nisi in bonis ».

Indicatae etiam sunt et acclamatione magna susceptae adhaesiones aliquae ex multis quae a dissitissimis etiam orbis catholici locis pervenere: siquidem non est fas plures recensere, perinsignis cuiusdam exalumni, ad Congregationem Salesianorum pertinentis, Emmi. Card. Archiepiscopi Poznaniensis verba exscribamus:

« Novis scientiarum cathedris assidenti, Almae Matri Gregorianae, aeterni Solis propitii illuceant radii, ut novos aggerens praeteritis gestis splendores, exquisitissimo doctrinae pabulo in aevum alat et muniat Fidei depositi custodes praeconesque.

Cardinalis Hlond, Primas Poloniae ».

Similia sunt alia multa Emm. Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, ex multis orbis terrae partibus, Religiosorum, Sacerdotum, Universitatum (Regiae Romanae, SS. Cordis Mediolani, Ottawae, Inst. Catholici Parisiensis), Ministri Italiae Educationis, Ministri pro Coloniis, Legati Romani apud S. Sedem, cet.

Quorum omnium tam insignia benevolentiae et grati animi

sensa, magnam laetitiam nobis cunctis debent infundere, cum et ipsa sint verbis concepta dulcissimis et plerumque e viris venerint, qui summa loca et officiorum et aestimationis in diversis nationibus occupant.

« Oremus pro Pontifice Nostro Pio » cantum est ab omnibus qui totam aulam replebant; tum Emmus. Cardinalis Bisleti largam Suae Sanctitatis Benedictionem est impertitus, contionemque totam, laetam et spei fiduciaeque plenam, dimisit.

Novi cursus instauratio.

Ecce iam postero die, mane, hora decima, in eodem fausto conclavi versamur, nunc ad iustam et annuam studiorum instaurationem graduumque collationem.

Praesidet, auctoritate Summi Pontificis, idem Eminentissimus Pater, qui eius etiam nomine primum aedium lapidem olim constituerat et sollemnem beneditionem heri contulerat, Card. Caietanus Bisleti, S. Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus Praefectus. Ad eius latus Patrem Nostrum, qui de hesterna et totius aestatis defatigatione laborat, repraesentat R. P. Petrus Boetto, Italiae Assistens; quos circumdant P. Rector Universitatis Gregorianae Iosephus Gianfranceschi, Praefectus Studiorum P. Dominicus M. Palermo Lazzarini, P. Augustinus Bea, Rector Pontif. Instituti Biblici.

Adsunt in auditoribus praestantes auctoritate et scientia multi Praelati, Rectores et Superiores Collegiorum Ecclesiasticorum, nostra Curia aliique bene multi.

Initium fecit caerimoniae Schola Cantorum (1), quae, dum invitati suis se quisque sedibus collocabant, nonnullos concinuit hymnos; tum, precatione a Praeside facta, P. Rector, nomine Suae Sanctitatis sollemniter declaravit annum academicum Universitatis Gregorianae initum esse; quo audito, omnibus stantibus, oratio pro Pontifice Nostro Pio, valide et robuste cantata est.

Subsecutae sunt tres splendidae contiones, quibus Patres Praefectus Studiorum, Professor Historiae Ecclesiasticae et Di-

(1) Scholam Cantorum ex alumnis variorum Collegiorum constantem his diebus dirigebat unus e Nostris Scholasticis theologis, P. Petrus Cerruti, e Viceprov. Brasiliae Centralis.

rector Instituti Culturae Religiosae pro Actionis Catholicae Sociis, de rebus quisque suo muneri consentaneis erudite sunt locuti.

Et Pater quidem Lazzarini gesta superiore anno in Universitate Gregoriana sobrie pleneque complexus est: aditos congressus scientificos, promotam gloriam S. Augustini, et S. Thomae, evectos ad Beatorum gloriam 22 antiquos alumnos ex Anglia, ad Sanctorum P. Robertum Bellarminum, discipulum, magistrum, P. Spiritualem, Rectorem, nunc vero Patronum totius Universitatis in caelo constitutum; cuius memoria nos ad novos in studiis progressus faciendos urget, quales iam initi sunt, designato novo Professore Historiae Ecclesiasticae recentis, novis scholis stabilitis in Facultate Iuris Canonici, et nova de Orientali Theologia schola; in omnibus vero Facultatibus, nec non in Magisterii cursibus, « nostrum erit, inquit, exercitationes seu academias novas constituere, iam exsistentes fovere, ut discipuli per propriam industriam et laborem, cum ad disciplinas rite hauriendas tum ad easdem penitius et amplius excolendas, facilius assuescant, veritatemque haustam, suo tempore et ore et scriptis effundant », incolumi semper salvoque huius Athenaei scopo, qui « in docendo non is est ut alumni multiplici et inani particularium cognitione multa sciant et non multum », sed vera formatione firmaque doctrinae disciplina eniti « ad veram mentium institutionem, ad solidum studiorum ecclesiasticorum profectum, ad fucatas nostrorum temporum opiniones recte refellendas ».

Patris Silva-Tarouca (Prov. Cechoslov.), Historiae Ecclesiasticae Professoris, gutture tunc laborantis, dissertationem legit P. Ioannes Hanssens (Prov. Belg.) Liturgiae Lector. Rem sane novam et pulcram disputavit Pater, qui dolebat quod minus nota esset insignis S. Bellarmini doctrina historica et praeclarum ingenium criticum; nam radices eruditionis historicae, ultra Papebrokii et Mabillonis tempora persecutus, ostendit iam saeculo XVI Sanctum Robertum, inter alios, hac in re fuisse praeclarum, qui tam exiguis eo tempore mediis, cernebat tamen tres ex epistulis S. Ignatio attributis spurias esse, Dorothei Tyrrensis et S. Martialis Lemovicensis opera supposititia ostendit, scripsitque illud opus quod non ante 1913 editum est, in quo, iam anno 1589, epistulas RR. Pontificum a S. Clemente ad Siricium ex Pseudo-Isidoro, fraudis fontibus detectis, fictas et absurdas demonstrabat.


Simili sagacitate odoratus est « nullas inveniri rationes, ut ipse Paulo V dixit, quae donationem Constantini genuinam esse probarent »; ipsum Pseudo-Areopagitam non ultra saeculum VI inveniebat. Iure dictus est olim « animata Christi Bibliotheca ».

Hoc puncto temporis in Historia Universitatis collocatus, eleganti oratione P. Augustinus Garagnani (Prov. Ven.), Director Instituti Culturae Religiosae pro Laicis, recordationes collegit et auguria pronuntiavit: initia illa modestissima, vitam in Collegio Romano gloriosissimam plenam scientiae, plenam sanctitatis egregiorum in orbe catholico virorum, foecundam studiorum renovationem post restitutam Societati Universitatem; deinde in Sede Borromaea instaurata et florentia studia, Iuris Facultatem constitutam, cursus additos et novas scholas et Magisterii gradus, ephemeridem editam, laicis Universitatis Gregorianae fores apertas; sic amplius requisitum spatium, sic in novas aedes ventum est.


Uberes autem spes et felicia auguria in nova domo. Adest S. Bellarminus, tam Universitati addictus tamque scientiarum ecclesiasticarum dux perfectus, adest copiosa benedictio Summi Christi Vicarii; quibus auspicibus, triplicem illum amorem in Dei gloriam, in SS. Nomen Iesu, in Ecclesiam catholicam, sicut antiqui ita et praesentes et futuri alumni et magistri indefesso labore procurabunt et propagabunt.

Postquam a plausibus est cessatum et iterum est cantum, lectum est « Quod in M. D. Gloriam cedat, rei christianae benevertat... » et nomina publice proclamata sunt eorum qui gradu academico digni fuerunt ab Universitate aestimati; iique ipsi evocati, ab Emm. Cardinali et R. P. Boetto insignia dignitatis obtentae receperunt, libros tetigerunt, anulo digitum obtulerunt, caput birreto subiecerunt, quae caerimoniae nunc primum post diuturnam omissionem sunt instauratae.

Tunc nomismatis distributis, quae SS. Pontifices Pius X, Benedictus XV, Pius XI in eximios quosque decreverant, cantatoque Universitatis hymno, benedictio data ab Emm. Cardinali sollemnitati finem fecit.



PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA
Aula sollemnitatibus habendis.



PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

Die 8 novembris.

Die 8, hora post meridiem 7, apertus etiam est cursus « Culturae religiosae pro laicis », qui iam tres annos viguit, magna quidem S. Pontificis approbatione et splendido alumnorum fructu. Praecipuas scholas in sede Borromaea perget habere.

Praesidebat Emmus. Card. Franciscus Marchetti-Selvaggiani.

Initium fecit P. Aug. Garagnani, brevi allocutione qua labores fructusque superioris anni collegit. De Dei exsistentia deque D. N. Iesu Christi divinitate explicata materia solutisque difficultatibus, ab ipsis alumnis scripto uti mos est expositis, hoc anno iam agetur de Ecclesiae Institutione et natura. Tum locutus est de cursu « Actionis catholicae », in quo iam hac aestate duodecim alumni, exacto studiorum tempore, Diploma approbationis obtinuerunt. Non minore diligentia in « Circulo Studiorum Religiosorum » est laboratum, ubi Marchio Franciscus Pacelli de nonnullis Concordatus articulis; P. Cappello de opportunis quibusdam de Matrimonio punctis; P. Garagnani de libertate scientiae eiusque cum ecclesiastica auctoritate relationibus disputaverant.

Postremo, postquam sollemnis cursus clausurae, cui praefuit Illmus. D. Pizzardo, mentionem fecit, commemoravit etiam audientiam illam magnificam, quam sub finem praecedentis cursus tota Universitas Gregoriana cum Sua Sanctitate habuit, in qua fuit etiam locus his saecularibus eius alumnis quos tantopere diligit Summus Pontifex, qui eos etiam singulariter allocutus est, verbis sane amore et paterna sollicitudine plenis; nam cum eos ante se videbat laboresque ab eis exhibitos considerabat, laetus cernebat « quam sit utilis et foecunda laicorum cum clericis cooperatio, non solum in opere 'Actionis Catholicae', sed etiam in ipsis studiis sacris, si rite perficiantur ».

Tunc Rev. D. Pius Paschini Professor Historiae Ecclesiasticae in Pontif. Seminario Romano pie et erudite de S. Roberto Bellarmino disseruit.

Quod igitur maxime erat in omnium nostrum votis, quod tam ardenti studio Pater Noster atque adeo ipse Summus Pontifex Pius XI cupiebant et procurabant, id iam Dei auxilio effectum tandem est, et oculis perspici potest: dum haec scribimus, iam scholae omnes cursus Theologici cum disciplinis annexis, Philoso-

phici cum suis scientiis, Iuris Canonici, atque Superioris Magisterii in nova Universitate Gregoriana, ordinate, graviter, feliciter progrediuntur.

Aedium novarum descriptio.

Accumbit totum aedificium colli Quirinali, cuius ob acclivitatem et limites fixos, cum in anteriore fronte pateat late, a tergo vero et retro angustius in angulum mutilum constringitur.

Pars media frontis in forum *della Pilotta* nonnihil procurrit, sicut cornua hinc inde excurrunt in vias vicinas, nam latitudo totius aedificii 100 metrorum est, altitudo 23 met., neque enim aliud adiuncta Urbis auctoritatesque permittebant. Cuius quidem partes clare internam domus divisionem repraesentant: prima seu infima pars facta tota e saxo travertino est, lapide quadrato, eodem quo Ecclesiae multae in Urbe, ut nostrae SSmi. Nominis Iesu et S. Ignatii, et ipsa frons Basilicae Vaticanae; ex eodem ab imo ad summum tota illa media pars quae in callem prominet, nec alia materia constant nervi omnes et compago tota frontis; intervalla opere lateritio sunt oppleta.

Eminet in summis aedibus, brevis quidem sed bellissima porticus ionicis columnis intercisa et sustentata, apricus et recreationi cottidianae Patrum destinatus locus, qui annexas sibi habet binas parvas aulas in duplici illa turricula, qua utrinque porticus continetur.

Coronant eas turriculas stemmata seu scuta heraldica duo, e saxo elaborata, Summorum Pontificum Gregorii XIII et Leonis XII; haec enim duo veneranda nomina, simul cum nomine Nostri amantissimi Patris Pii XI, quod et stemma in medio collocatum et tota domus in se refert et praedicat, facile totam huius Universitatis historiam gloriosissimam comprehendunt et in futuras generationes proclamant.

Illud enim Collegium Romanum quod, divina luce ductus, S. P. N. Ignatius, opibus adiutus S. Francisci Borgia, Ducis etiamtum Gandiae, instituerat, quodque iam inde ab anno sequenti, ob loci angustias crescentemque multitudinem alumnorum migrare identidem in plures sedes debuerat, Summus Pontifex *Gregorius XIII*, eximio in gloriam Dei Ecclesiaeque et in nostram Societatem amore, copiosius dotavit, iuribus verae integraeque Universitatis

locupletavit, suo nomine decoravit, annoque 1582 amplissimo tandem illo quod « Collegium proprie Romanum » audit aedificio, instruxit et ornavit. Quo in loco Societas Iesu quot eximios sanctitatis et disciplinae fructus et protulit et admirata est, dum vixit!, nam post Societatem suppressam saecularium clericorum manibus et curae est demandatum.

Cum vero iam restituta feliciter Societas vires sumere ac pollere aptis viris Sanctae Sedi visa est, voluit benignitas *Leonis XII* P. M., anno D. 1824, Gregorianam Universitatem iterum nostris Patribus traditam, ea usus ratione ac argumento, quod « cum multa in Urbe hac Nostra fuerint a Summis Pontificibus providentissime constituta, quae ad salutem et commodum christiani populi maxime pertinent, eminet certe inter ea Romanum Collegium, quod religioni et bonis moribus tradendis, ex fel. rec. Gregorii PP. XIII liberalitate, molitione ingenti ac magnificentissima exstructum, insignia semper impensae sollicitudinis paternaeque dilectionis testimonia a praedecessoribus nostris omni aetate est promeritum... Iura porro ac privilegia Collegii Romani, illaque praesertim, quibus, ex Iulii III et Pii IV auctoritate, lauream in artibus et in sacrae theologiae facultate impertiri.... datum est, integre perstare » decrevit.

Facile intelligi potest quantos labores aggredi quantasque difficultates superare Nostri in tanta hominum penuria tamque turbulentis temporibus debuerint, et quanto etiam cum dolore, ob eam ipsam causam, suas illas antiquas omnique veneratione cultas sedes derelinquere debuerint, cum, occupato Collegio Romano ab italico gubernio, in Palatium Borromaeum mendicato migrare sunt coacti (1873), quod eo usque Germanicis et Hungaricis fuerat Seminarium.

Summi vero Pontificis *Pii XI* gloria semper praedicabitur, quod post tam multas peregrinationes, post tam diuturnam in Palatio Borromaeo commorationem, sedem hanc tandem novam Universitas obtinuerit, quam Deus et perpetuam faciat et fructibus foecundet.

Hanc eandem historiam comprehendunt et clarius explicant binae inscriptiones in vestibulo positae et marmore insculptae; quarum altera primam continet institutionem et in Universitatis iura erectionem his verbis:

COLLEGIVM ROMANVM
A SS. IGNATIO DE LOIOLA ET FRANC. BORGIA CONDITVM
A IVLIO III PAVLO IV PIO IV PIO V PP. MM.
STVDIORVM VNIVERSITATVM IVRIBVS ORNATVM
A GREGORIO XIII P.M.
CENSV ADDITO AEDIBVSQVE A FVNDAM. EXCITATIS
SPLENDIDIVS INSTRVCTVM EST A. D. MDLXXXIII
AC TANTI E NOMINE PATRONI NVNCVPATVM
VNIVERSITAS GREGORIANA

Altera posteritati refert ea quae in Restituta Societate Summi Pontifices, et praesertim S. P. Pius XI, universitati iam olim fundatae bona contulere:

PONTIFICIAM VNIVERSITATEM GREGORIANAM
LEONIS XII PII IX LEONIS XIII STVDIIS RECREATAM
ATQVE IVRIS CAN. DOCENDI AVCTAM FACVLTATE
PIVS XI P.M.
ALTIORE PRO LAICIS ADIECTO RELIG. MAGISTERIO
CONSOCIATIS BIBLICO ET ORIENTALI INSTITVTIS
QVO PLENIOR PATERET SACR. DISCIPLINARVM PALAESTRA
NOVA IN SEDE MAGNIFICENTIVS CONSTITVIT
A.D. MCMXXX.

Sed iam ipsas aedes visitemus.

Et primum quidem ingressis duplex patet vestibulum, non ita magnum, sed capax et lucidum; alterum semper apertum, alterum quod facile claudi possit. Cuius quidem vestibuli dextra Oeconomi Librorumque novorum sedes sunt, laeva sacellum alumnorum S. Roberto Bellarmino dicatum; supra, sedes Rectoris Praefectique in primo tabulato, aula Professorum in secundo; e regione vero patet ingressus ad magnificum atrium sollemnitatum, cui adiacent utrinque amplae et marmoreae scalae in superiores aulas ducentes.

Hoc atrium non male dixeris centrum et cor totius Universitatis; non solum quia in media domus sede est constitutum, nec quia aulae omnes, circum illud distributae, in id post singulas scholas suos discipulos effundunt, sed maxime quia illic iam posthac omnes actus, disputationes, collationes graduum, habebuntur, qui hucusque in templo S. Ignatii, ob loci penuriam celebrabantur.

Habet in fronte absidem quam effigies Servatoris Nostri occupabit, Apostolos in orbis terrae partes eo sermone mittentis: « Euntes docete omnes gentes », quod quam vere his quae illic gerentur respondeat, nemo est quin videat. In absidis umbone Apostolorum imagines insculpentur.

Ea in tribuna sedenti, tota area, 31 metris longa, 27,80 ampla, ante oculos protenditur, marmore strata, non eo quidem nimia albedine, nec visum offendente, sed temperata quadam suavique claritate; quo e marmore totum pavimentum huius plani et primae contignationis constat (reliqua linoleo sunt contecta); aliquanto distantes a quattuor muris, secant solum totidem series columnarum, e duro silice monolithico factarum, quae bellam sustinet obambulationem seu speculam, unde etiam quae in scaena agantur cerni commodissime audirique possunt; ita bene aula 3000 auditores capit.

Illud singulare huius atrii, quod cum sit laqueatum, eius laquearis media pars, quae e vitro pellucido est facta, ita est versatilis, ut subito vi electrica in bina membra divisa excurrat utrinque, aperiatquae aeri, calori, luci amplissimum ingressum.

Scholares aulae omnes, numero 25, distributae sunt circa hoc medium atrium, amplae omnes et pro sua quaeque destinatione omnibus illis mediis suppeditatae, quae ad materiam explicandam existimantur collatura; sunt praeterea 4 scientifica conclavia. Scamna sunt semper in cuneos intercisa ad facilem ascensum descensumque, et in quattuor scholis, per gradus sunt collocata; calefactio per thermosyphonem in cunctis scholis adest, et e domus solario tubi in parietibus latentes aerem purum foris absorbent et corruptum de aulis pellunt.

Singulari attentione dignae sunt duae ex his scholis, altera in inferiore plano ad theologos, altera supra eam ad philosophos, in modum romani theatri constructae, quarum inferior, quae pergulam etiam habet, 850 alumnos, superior 750 continere bene potest. Cavea ipsa seu concha, cum ex planta domus excurrere deberet et extra murum esse, occasionem dedit audaci cuidam fabricae, nam ut sustentaret reliquas tres contignationes domus, necesse fuit eo ipso loco ubi concha incipit, eius bina extrema immani quadam trabe coniungere, qualis nondum usquam, saltem in Europa, fuerat exstructa, e caemento compacto, 7,50 metrorum alta, longa 28 metris; ita tamen dissimulata ut tota lateat, immo

ipsa parietem domus una contignatione efficiat, habeatque in se septem fenestras apertas cellarum in quibus totidem PP. Professores habitant. In inferiore aula similis trabs ferrea est sita, eiusdem longitudinis etsi multo gracilior.

Non minima cura adhibenda erat, in tam illustri Athenaeo, libris comparandis, conservandis, administrandis. Ideo in extremo cornu dextro aedium, alia domus eis coniuncta aedificata est, Bibliotheca, tota praeter parietes e ferro elaborata, etiam quinque eius pavimenta quibus constat, pariterque armaria pluteique; locus est ad fere 500.000 libros. Huic adnexa est altera duplex consultationis et laboris aula, alumnis altera, professoribus altera, cum plus 30 mensis, et plus 52.000 voluminibus.

Superiores duae contignationes, tertia et quarta, longe alia structura constant a reliqua domo. Semotae sunt interius nec cerni e calle possunt nec ideo in photographia apparent, cum inferior 5 metra, superior 11 distent a frontis superficie; tantum in medio coniunguntur cum porticu illa qua aedificium coronatur.

De tota hac Patribus Professoribus et biennistis destinata parte, nihil est magnum quod dicamus: habet ea quae nostrae Domus habere solent; est illic communitatis sacellum, et praeterea alia 28 fana seu capellulae, ut fere unius cum dimidio horae spatio omnes missae celebrari possint; nam cellae sunt Patribus praeparatae centum, non eae quidem lautae nec magnae (4×4'90; 4'60×3'60; 3'80×2'90; 3'70×5'40 habent), nec multo minus, ut ephemerides nonnullae etiam exterae dixerunt, suo quaeque balneo instructa; transitus etiam potius angusti sunt dicendi (2'90 metra), multis cum flexibus, nec nimia profecto luce, cum aliter fieri non potuerit in ea superiore domus parte. Totus igitur ille locus, etsi bene structus est iis quae ad facile studium Professorum conferre sunt visa, refert tamen nostram paupertatem, quae multo clarior apparebit cum vetustior tota suppellex tempore fiet.

Patres iam a mense septembri domi habitant, reliquae partes domus summa contentione et incredibili festinatione toto mense octobri expoliri ac praeparari debuerunt, omnium NN. concursu, qui operarios etiam ad multam noctem laborantes adiuvabant, praeeunte novo novae huius domus Ministro P. Ianuario Pennacchio (Prov. Rom.).

Novarum Aedium origo et causae

In memoria omnium filiorum Societatis perstat quemadmodum, iam a primis sui regiminis annis, Pater Noster necessarium duxerit, magno huic Societatis operi, quo fere nullum antiquius in Societate fuit, locum ampliorem, recentibus necessitatibus aptiorem, crescenti semper alumnorum numero accommodatiorem comparare.

Ipsa enim Congregatio XXVI qua Pater Noster electus feliciter est, « propter dignitatem... et amplitudinem eiusdem Universitatis, quae ex mente Sancti Parentis nostri Ignatii ceteris omnibus Societatis collegiis et Universitatibus veluti exemplar quoddam praelucere debet, eam Congregatio Generalis singulari curae ac providentiae Praepositi Generalis commendat ut in eam peculiari quodam studio 'superintendentiam' illam exerceat quae sibi a Constitutionibus in Societatis Collegia committitur » (1).

Idque quia huius egregii Instituti gravitatem summumque momentum omnes Patres congregati sentiebant, « ut, scilicet, Universitas Gregoriana, quae tam egregie de Ecclesia merita est, tantamque Societati laudem comparavit hodieque comparat, tot utriusque cleri adulescentes ex omnibus fere terrarum plagis et familiis religiosis quamplurimis in sacris doctrinis erudiendo, cumulatius in dies omnium exspectationi respondeat auctisque temporum necessitatibus parem se exhibeat » (2).

Non incassum haec nostrae Congregationis vota accidere; summa cum diligentia in fovenda mille modis Universitatis vita adlaboratum est, novis praesertim et numero pluribus professoribus adsciscendis, simul vero de ampliore loco obtinendo novisque sedibus aedificandis vel inter summas eorum annorum curas et etiam angustias cogitatum est.

Videbat enim Pater Noster, id quod toti Societati litteris datis petendisque precibus et eleemosynis exponebat die 12 sept. 1919: « Athenaeo nostro principi aliam sedem esse conquirendam » omnino, cuius praecipuas causas ita significat, magnopere rei gravitate commotus et ardens desiderio, ut « anno 1921 trecentesi-

(1) *Acta Romana*, II (1915) pag. 33.

(2) Ibid.; in sola Universitate Gregoriana 1697 sunt hoc anno (1930/1) alumni: in cursibus Magisterii 25, in facultate Theologica 1065, in Iuris Canonici 114, in Philosophica 493.

mam suavissimi illius (S. Ioannis Berchmans) commemorationem, inchoatis saltem novis aedibus, pristino Collegio Romano haud nimium indignis, nobis celebrare contingat ».

« Aedes enim Borromaeae, quibus adhuc continetur, pro crescente auditorum frequentia et multiplicatis praelectionum classibus, dudum factae sunt perincommodae, ac proposito fini nequaquam congruunt. Frustra ibi quaesieris scholarum aulas satis spatiosas, bibliothecas opportune sitas, musaea et officinas scientiarum quae experimentis praecipue nituntur, et alia quae, non dico ad ornatum vel splendorem, sed ad plenam discipulorum educationem opus omnino sunt. In summa, ea est locorum rerumque exiguitas et deformitas ut multos externos taedeat, nos autem propemodum pudeat, tale institutum talibus saeptis coerceri. Quae conditio, iam nunc ingrata atque indigna, mox evadet ferme intolerabilis cum antiquis difficultatibus novae sint accessurae. Namque, ut alia omittam, poscit Societas tota, cumulatius in dies omnium exspectationi respondeat auctisque temporum necessitatibus parem se exhibeat (1). Quamobrem necesse est scientias sacras necnon auxiliares disciplinas ibi coli quam perfectissime, ea omni eruditionis suppellectile prudenter adhibita quam hodierna studia subministrarunt. Qua in re, Iuri canonico iam providit R. P. Wernz cum biennium induxit. Theologici porro magisterii cursus superior propediem incipietur. Denique philosophiae copiose et penitus pertractandae consuli oportebit. At vero has optatissimas scholarum et auditionum accessiones minime patitur aedium angustia, neque ulla ratio suppetit has vel dilatandi vel melius accommodandi. Itaque nihil superest, nisi ut quantocitius alio commigretur » (2).

Vires ac novum robur his coeptis XXVII Congregatio addidit, menti Summi Pontificis Pii XI voluntatique obsecuta cum statuit Praepositum Generalem « quo tantae rei coram Summo Pontifice in se periculum recipere et Societati tam gravia onera imponere possit, verum habere officium capiendi omnia consilia quae ei, auditis ut plurimum Provinciali Romano et Universitatis Rectore vel Praefecto Studiorum, necessaria aut utilia

(1) Congr. Gen. XXVI decr. 10.

(2) *Acta Rom.* III (1919) pp. 69 sq.

videbuntur, ut Collegium Romanum exspectationi Ecclesiae et Societatis in dies magis respondeat » (1).

Sic igitur constabat ac palam fiebat ex Congregationis Generalis mente, in hanc Universitatem Gregorianam amplificandam et evehendam totius universae Societatis pondus, precum, facultatum, opis, verbo amoris cum Patre Generali incumbere et posse et debere; gravissimis enim verbis eam omnibus Provinciis commendabat.

Nec aliter fieri poterat; intercedebat enim, non iam aperta et sincera voluntas, sed ardens desiderium, ne dicamus impositam oboedientiam, Summi Pontificis qui ipsi Congregationi Generali simul ac de eo decreto certior factus est, Litteras Apostolicas, omni amore et sollicitudine plenas misit, quibus vix quidquam dici potest aut ad commendationem gravius aut ad consolationem dulcius.

In eis enim Litteris: « tibi, inquit, dilecte fili, adeoque cunctae Societati tuae, gratulando significamus, decretum eiusmodi, quod vobis in laudem perpetuo vertetur, non tam menti Nostrae congruere, quam omnem vicisse exspectationem desiderii Nostri ». Cum enim tam caram sibi Ipse habeat hanc Universitatem, nihil mirum Sibi videri dicit « tot Romanos Pontifices, quorum non unus in flore aetatis studia ibidem confecit — quod idem Nosmet etiam egisse iucunde meminimus — inter se veluti certasse, quis eorum maioribus gratiis privilegiisque Collegium Romanum locupletaret » ; inter enim gravissima opera atque instituta, quae A. M. D. G. et animarum salutem Societas tam multa excitaverit atque excitare non desinat, hoc Gregorianum Athenaeum principem aut fere principem obtinere locum; praeclarissimas ex eo fonte in Ecclesiam Dei fluxisse utilitates; splendidam illam seriem magistrorum, inter quos S. Bellarminus sit, intercipi nullatenus debere; tametsi onus gravissimum sibi imposuerint, praesertim Pater Generalis « cuius mox erit peculiari omnino iure officioque acriores quam antea curas convertere, — ut verbis Gregorii XIII utamur — in 'generale omnium nationum Collegium et universae Societatis Seminarium' », erigat animos tamen uberrimi et certissimi fructus spes, et corroboret solatiisque

(1) *Acta Rom.* IV (1924), pag. 21.

omne genus compleat Apostolica Benedictio quam Nostro Patri universaeque Societati in Corde Iesu Sacratissimo impertitur (1).

Tanta tamque operibus manifesta benevolentia et caritas Summi Christi Vicarii in terris facile perspexit, sicut Pater Noster clarissime perspexerat, quid illud esset, quo maxime egeret hoc nostrum vel satius dicam Sanctae Sedis Athenaeum, quod S. P. Gregorius XIII construxerat ut « Ignatiana familia in ipso veluti Vicarii Iesu Christi conspectu, pietate, litteris disciplinisque sacris profanisve, lectos adolescentes confirmaret, qui in hoc catholici nominis centrum rite excolendi confluxissent » : scilicet, amplius et praesentibus temporibus accommodatius aedificium.

Inde natae sunt illae nobis gratissimae Litterae Apostolicae, die 5 maio 1924 datae, quibus de confecto saeculo a recepta directione Universitatis post restitutam Societatem gratulatur; multisque enumeratis gloriosissimis factis, tum auxilio singularibus occasionibus Ecclesiae praestito, ut in Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis proclamatione paranda, in Concilio Vaticano disponendo et habendo, in S. Thomae Aquinatis doctrina instauranda, tum cottidiano sacerdotalis disciplinae exercitio, tam foecundo et multiplici, ut illis ipsis diebus et tertia pars Collegii Cardinalitii et plus ducenti Episcopi per orbem terrarum disseminati discipulos se esse gloriarentur Gregorianae Universitatis: — « gratae sane paternaeque voluntatis, inquit, multiplicia, inde ab inito Pontificatu testimonia a nobis Athenaeo non defuere vestro, at testimonium prorsus singulare daturi sumus, a fundamentis aedificium excitando magnificum, quod, cum ingenti numero auctisque magisteriis, tum rei munerisque dignitati respondeat; cuius quidem consilii Nostri monumento esse voluimus nomisma ipsum, quod tertio huic Pontificatus anno commemorando cudi signarique iussimus » (2).

Appellavit has Litteras nonnemo « Chartam magnam » novae Universitatis, et non sine causa; inde enim ab eo tempore Sua Sanctitas rem totam tamquam suam ita amore est prosecutus, ita omni ope, auctoritate, commendatione, sapientia, precibus etiam adiuvit, ut iure meritoque Pater Noster mense iunio nuper elapso, cum Summo Pontifici explicaret aedificium iam fere finem

(1) *Acta Rom.* IV, pag. 263.
(2) *Acta Rom.* V (1924) pag. 47.

attingere et ad proximum annum academicum habitandum sperari, addere verissime potuerit: « sine Vestrae Sanctitatis benedictione, Beatissime Pater, nihil adhuc fuisset factum, ne primus quidem lapis fuisset collocatus ».

Revera multum iuvabant et trahebant Nostrum Patrem tam clara Beatissimi Patris voluntas et tam copiosa benedictio ad animose et audacter rem arduam sane et perdifficilem aggrediendam, ad infinitas difficultates constantissime subeundas et superandas, quae finem operis retardare potuerunt, animi vires minuere non potuerunt, quoad tandem integra exstitit Nova Universitas Gregoriana, non ea quidem luxurianti ornatu, sed apta suis usibus, digna suis gestis, suis alumnis accommodata, qualis a Romanis iam admirantibus conspicitur, qualis ab omnibus in adiecta imagine perspici cernique potest.

Aedificii ipsius exstructio.

Iam anno 1919 est area ei operi faciendo empta, 8000^2 metrorum, locus in ipso clivo Quirinali ad occidentem situs, eminens, aeri solique apertus, non longe a palatio regio, insignes illos Principum Colonna hortulos attingens, simulque quietam illam plateam *della Pilotta.* Sed quamquam iampridem locus emptus tandem fuerat, primus lapis non est iactus ante annum 1924 in finem vergentem, et tunc etiam potius dixeris ad nos ipsos cogendos opusque urgendum fuisse positum quam ad proxime construendum; et non ante mensem augustum anni 1925 casulas domosque et tabernas totius eius loci demoliri est coeptum. Quattuordecim mensium spatium necessarium fuit ut area sterneretur et fossae fundamentis iaciendis aperiri inciperent. Venit etiam his suum tempus: mense novembri 1926 ferramenta sulcos fodere coeperunt. Anno tandem 1928 muri externi tectusque sunt absoluti, 1929 interiores partitiones et parietes sunt facti, 1930 expoliendis instruendisque aedibus est opera data.

Nam multae obortae sunt huic constructioni, praeter eas quas quisque providere poterat, difficultates, quibus superandis, Superiores trium praesertim subditorum opera sunt maxime usi, quorum nomina hic commemorata voluerunt:

Fratrem dicimus Hectorem Annoni (Pov. Ven.) indefessum fabrorum directorem, excitatorem, propulsorem, de quo aiebat

quondam e palatio vicino quidam vir: « Sed quisnam est ille operarius dux tam strenuus? vel mille libellis cottidianis non iuste solveretur eius opera; quam multis centenis milibus expensas Iesuitarum in hac aedificatione minuit! ».

Oeconomi nostri Generalis P. Antonii Stravino sollicitudo in colligenda pecunia, dexteritas in administranda, sollertia in tractandis tam variis hominum generibus, superandisque incommodis usque huic fabricae surgentibus, digna profecto est quae omnium grato animo commendetur.

Nec minus est digna Patris Petri Basterra architecti occulta opera, qua, a prima operis faciendi adumbratione ad ultimam pavimenti politionem, omnia ad mentem S. Pontificis Nostrique Patris et ad usus futuros componebat, assiduo et abnegate, eaque simul suavitate et modestia, ut architectus, qui publice operi praeerat, omnia tamquam sibi propria et amplecteretur et foveret, ut ipse postea non sine admiratione profitebatur (1).

Ipsa descriptio seu futuri aedificii adumbratio erat iam perdifficilis: loci ipsius indoli et formae in clivo, situs in ea parte oppidi dignitati, praeceptis comitatus technici de pulcritudine urbis, usibus et necessitatibus ad quas domus erat destinata, cubiculis, aulis multis, amplis, lucidis... non erat facile simul respondere; multae profecto eaeque pulcrae descriptiones a diversis architectis factae reiciendae fuerunt, quoad ipse P. Basterra eam, quae tandem valuit, confecit.

Tum industria multorum sed praesertim P. Stravino est summopere adhibita, primum ad comitatum de conservandis antiquitatibus aequum nobis reddendum, deinde etiam benevolum et amicum; tum ut duo nostri vicini, fundorum domini, post longas disputationes, ad nostra iura agnoscenda cogerentur; tertio tandem, idque fuit permolestum et valde diuturnum, ad domorum inquilinos removendos, qui pecuniam a nobis perquam magnam exigebant, ut sedes suas, quae iam nostrae erant, linquerent, quasi denuo nobis essent emendae, nec nisi post lites apud prae-

---

(1) De externis benefactoribus nominatim hic dicere non aestimamus opportunum, praesertim cum praecipua benefactrix suum nomen ita occultum voluerit ut soli Deo, qui videt in abscondito, id reservaverit.

torem et apud iudices depelli potuerunt, nulla profecto nostrae pecuniae iactura.

Huc accedebat quod non opus aliis faciendum locatum est, sed a nobis ipsis curatum, in magnis et in minimis quibusque. Id sane sumptus maximopere minuit, materiarum indoli et naturae cavit multum, mutationes inter aedificandum, quae necessariae apparebant, faciles reddidit, nos de firmitate constructionis securos reddebat, sed laborem, curas, molestias, incredibili modo augebat. Praesertim cum non semper pecunia ad manum haberetur, sed Dei Providentiae fidere esset necesse et ulterius progredi, quae nobis nec defuit, gratias Deo, adhuc, nec ad ea, quae restant solvenda, defuturam speramus.

Cum fundamenta aperiri coepta sunt, id evenit quod iam timebatur: aggestis ruderibus, ruinis, saxorum et constructionum frustulis, arcubus, caveis totus ille locus coacervatus, nusquam sedem ullam fixam, nullum duraturum sedile parietibus offerebat; satis est dicere novi aedificii parietes in parte quidem altiore octo metris terram penetrare, in media quattuordecim, in fronte seu inferiore parte etiam 20 metris latere; et ii ipsi non terra toti consistunt sed partim immani quadam substructione, quae saeculo II facta videtur et cum templo Solis quod sub hortis Colonna iacet connexa erat.

Ac interea quo magis fundamenta descendebant, eo maiorem vim pecuniarum absorbebant, et fuit rei summariae difficultas non minima ex difficultatibus quae hoc opus nostrum affligebant. At ille S. Ioseph qui inter rudera fundamentorum collocatus omnem operariis tristem casum vitavit, cuiusque patrocinio iam in sua prima epistula (12 sept. 1919) eleemosynarum comparationem commendabat, adiuvit etiam Nostrum Patrem in tam gravi quam necessario negotio. Eius enim S. Ioseph providentia fretus et sanctorum auxilio nixus, qui olim in hoc universae Societatis Seminario educati fuerant, a cunctis Provinciis opem et stipem emendicabat, litteris die 18 ian. 1926 datis, et, dum de acceptis iam eleemosynis gratias agebat, iterum rogabat ut tum ipsae, modicis adhibitis sacrificiis, aliquid, quantum quaeque posset, offerrent, tum externos provocarent ad tanti operis sumptus suo auxilio pecuniisque minuendos.

Magna tum etiam enituit Societatis totius caritas et sollicitudo et in Sanctam Sedem eiusque desiderii devotio, quo factum

est ut, etsi multa restant adhuc debita, novi aedificii constructio constanter, ne dicam celeriter, in suum finem omnium auxilio et favore prosequeretur.

Inde igitur quisque facile videt gratias hodie referendas gratulationesque de opere confecto mittendas esse, praeter quam caelitibus, qui tam praesentes nobis in tantis difficultatibus adfuerunt, omnibus Societatis filiis, qui precibus, sacrificiis, verbo, opere, per se et per alios, tam arduam aedificationem secundarunt.

Sed singulares gratias vindicant de nobis et de futuris generationibus Summus Pontifex Pius XI qui, toto sui pontificatus tempore, hanc suam Universitatem, omni qua potuit auctoritate, favore, sollicitudine, commendatione, precibus, fovit et adiuvit, quemadmodum promiserat et concupierat, et Pater Noster Generalis, cui solus Deus, verus rerum sacrificiorumque aestimator, digna meritis rependet.

II.

INSTITUTI ORIENTALIS BIBLIOTHECAE INAUGURATIO.

(14 novembris 1930).

Festum quod die 14 novembris, Sancto Iosaphat sacro, celebratum est, gravius quidem est, et maioris momenti aestimari debet quam cuiusvis Bibliothecae, etiam magnificae, inauguratio. Aliquid altius providebat Summus Pontifex in ea Bibliotheca instituenda, cum Suam Ipsius experientiam commemorans optimeque perspiciens quanti essent ex ea fructus sperandi, « Nos, inquit, nullis perterriti difficultatibus, quas nec paucas nec leves futuras esse praesentimus, toti erimus in iis omnibus quae Orientis regiones, mores, linguas, ritus attingant, comparandis ».

Fundaverat enim Sanctitas Benedicti XV hoc Institutum, Societatique nostrae commendaverat Pius XI, ut non solum iuvenes formarentur, ei parti dominicae vineae colendae apti, sed etiam ut Orientales Ecclesiam melius cognoscentes nobisque eos melius perspicientibus, facilius et securius allicerentur ad unionem in unum ovile et sub uno Pastore; siquidem huic Romano Pontifici sicut omnibus Eius praedecessoribus planum est, « et complura antehac mala et miserrimum illud discidium, quod tam multas easque olim florentissimas ecclesias ab radice unitatis abstraxerat, cum ex mutua imprimis populorum ignoratione et despicientia, tum ex praeiudicatis opinionibus, quas diuturna animorum alienatio consecuta esset, necessario exstitisse » (1).

Ideo omni conatu in eum finem sub RR. DD. d'Herbigny est

(1) Litter. Encycl. de Studiis Rerum Orientalium provehendis, 8 Sept. 1928 (*Acta Rom.* VI, pp. 25 sqq.).

adlaboratum, ut communicatio cum his qui ad Orientem pertinent, sive catholicis sive acatholicis, quam maxima procuraretur, ut omnes lucrifierent; nihil autem his obtinendis aptius quam ampla, laute locupletata Bibliotheca, ubi rarissimos quosque libros legere omnes qui vellent, possent, nostros eximios professores in sua quemque materia consulere, et conferentias de rebus orientalibus a peritissimis audire.

Sic quidem hucusque est factum: magna enim profecto est utilitas magnusque fructus in iusto studiorum cursu in quo viris ex dissitissimis nationibus venientibus, variae traduntur disciplinae de scientiis ecclesiasticis orientalibus: theologicae nimirum, asceticae et mysticae, liturgicae, canonicae, historicae, patristicae, archaeologicae, philologicae, quibus nunc institutiones islamicae accedunt; sed est sine controversia multo maior efficacitas huius Instituti in privatis, praesertim scientificis, viris dirigendis, in alloquendis iuvandisque orientalibus, in exhibenda eis vera Romana Ecclesia, in mutua denique cognitione quod ad antiquas et quod ad praesentes res attinet.

Quod quidem quanto facilius perfectiusque poterit posthac praestari! Sumptibus enim a pia quadam hispana domina collatis, quam ipse Summus Pontifex in Encyclicis commemorat, domus apta erecta est, quae simul et bibliotheca et aula academica ad conferentias iucundissima esse possit.

Cuius ipsa sollemnis benedictio bellissime naturam huius Instituti referebat, quod cunctis in Ecclesia clamare videtur: « alias oves habes quae non sunt ex hoc ovili ». Primum quidem gentium concursu: aderant sane Emmi. Cardinales Aloisius Sincero, qui Summum Pontificem repraesentabat, Petrus et Henricus Gasparri, Raphael Scapinelli et Andreas Frühwirth; Gubernator Status Vaticani, et plures Archiepiscopi et Episcopi: sed praesertim fulgebat gratissima quaedam varietas vestium et facierum orientalium, cum inter alios multos adessent Praesules Naslian (arm.), Papadopoulos (graec.), Bućić (russ.), Chidone (aethiop.), et cum eis mixti multi egregii viri e patriciatu Romano, e legationibus exterarum nationum, e coetibus academicis et ecclesiasticis collegiis.

Eundem spiritum evangelicum praedicabant ea omnia quae in festo ipso sunt peracta: nam cum praecipua pars sollemnitatis contio esset Illmi. DD. d'Herbigny, eam, ante et post, circumde-



COLLEGIUM ROMANUM
(hodie Lyceum Publicum et Bibliotheca Vict. Emman.)





PONTIFICII INSTITUTI ORIENTALIS BIBLIOTHECA
Die Inaugurationis
(In superiore parte : Inscriptio in aditu collocata).

derunt cantus, quos sua quisque lingua, suo sono et populari concentu, modulati sunt repraesentantes omnes ecclesiarum orientalium. Datum est illic audire Ruthenos « Hymnum in S. Iosaphat » et « Psalmum 88 » graviter pieque canentes, graecos deinde musica usos ecclesiastica penitusque liturgica, et polyphonicam elegantemque armenorum concentionem, et quas sex iuvenes aethiopes cantilenas populares morose repetebant, et maronitarum dulcem et elevatam melodiam « In diem Resurrectionis Domini » et quem ad omnem perfectissimae artis normam cantaverunt nostri Collegii Russici alumni « Hymnum Cherubim », quem devotissima precatio subsecuta est « Salvator mundi, salva Russiam ».

Media inter tam varios cantus habita est sollemnis benedictio loci ab Emmo. Card. Aloisio Sincero, Secretario Congregationis pro Ecclesia Orientali, data, quam benedictionem praecessit luculenta, ut diximus, RR. DD. Michaelis d'Herbigny, S. I., praesidis eiusdem Instituti Orientalis, oratio.

Postquam magno grati animi sensu cunctos egregios viros salutavit qui tam familiari pioque festo intererant, cum naturam et originem huius Instituti exposuisset, laboresque eius scientificosque fructus et Professorum opera edita et ephemerides scriptis frequentatas cum enarrasset, gratias egit quidem maximas primum Summo Pontifici qui amore vere paterno Institutum fovere nunquam destitit, tum etiam Dominae Victorianae de Larrínaga Bibliothecae donatrici, tum aliis bene multis, qui suis librorum donationibus Orientalis Bibliothecae thesaurum in dies augent. Nec enim solum ecclesiastici Praesules, ut Patriarchae et Episcopi orientales, id obsequium praestiterunt, verum etiam privati viri, ipsae etiam exterarum nationum romanae Legationes (sc. Italiae, Hispaniae, Belgii, Galliae, Neerlandiae, Germaniae, Austriae, Cechoslovachiae, Iugoslaviae, Rumaniae, Finlandiae, Esthoniae, Lettoniae, Lithuaniae, Hungariae, Poloniae) et scientifici coetus Graeciae, Bulgariae, Turchiae, Aegypti, Syriae, Algeriae, Mauritaniae...

Gratissima accidit omnibus haec contio quae omnium praesentium sensus atque adeo corda videbatur in unum colligere et Christo Regi offerre.

Tum breviter Emmus. Cardinalis sed pulcra verba fecit, quibus huius Bibliothecae et totius Instituti Orientalis momentum

extulit, spem atque vota Summi Pontificis expandit, et optima quaeque piissimae donatrici est adprecatus.

Omnes deinde invitati sunt ad bibliothecam propius cernendam: locum habet ad 70,000 libros; aula vero vicina ad studia et consultationes destinata, et iam nunc multum frequentata, 30 habet mensas et ad libros plus 15,000 sedem adaequatam; praeterea subest toti domui ad conservanda 120,000 volumina amplus locus; ita plus 200,000 libri domi esse possunt. Portae ipsius Bibliothecae principi, inscriptio posita est ex auro in aes iniecto, in qua sub armis Regnantis Pontificis, stemmata sculpta sunt, tum benefactricis ipsius tum Orientalis Instituti, interque ea doni dedicatio Sanctitati Suae facta.

Velit Dominus laboribus et sacrificiis Patrum qui in tam sanctum opus se suamque vitam consecrarunt cumulatissime benedicere.

APPENDIX.

EMMI. CARD. CAIETANI BISLETI IN SOLLEMNI INAUGURATIONE NOVARUM AEDIUM ORATIO

Eminentissimi Principes,
Excellentissimi atque Illustrissimi Domini,
Reverendissimi Patres,
Iuvenes in Christo dilectissimi:

Litteris per Eminentissimum Cardinalem a Secretis Status, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI honorificum admodum mihi munus commisit, augusto Suo Nomine sacro ritu lustrandi atque sollemniter dedicandi magnificentissimas has novas aedes, quibus carissimam Sibi Universitatem Gregorianam Ipse instruendam ornandamque curavit.

Pro Christi igitur in terris Vicario hodie apud vos legatione fungens, non mea vobis sed eiusdem Beatissimi Patris verba faciam. Ab Eo enim iussus sum hic palam edicere Ipsum, esse quidem « absentem corpore, praesentem autem spiritu », (cfr. I Cor., V, 3), toto corde et paterna dilectione hic revera nobiscum adesse et Suae Universitati faustissima quaeque a Deo adprecari. Huc autem spectare fervida Ipsius vota, ut quo latius dilatata sint spatia veritatis, spatia, inquam, quae veritati docendae addiscendaeque aptiora essent et magis decora, eo uberiores hinc illi christianae sapientiae fructus colligantur, quorum hoc Athenaeum semper feracissimus providusque fuerit ager.

Nec tantum Augusti Pontificis amorem mirabitur, quisquis mente recolit quanta Ipse iam inde a Sacri Principatus exordio pro dilectissima hac Alma Matre excogitaverit perfeceritque; ut unum alterumve commemorem, eam facultate instruxit aggregandi sibi, post biennium altioribus philosophicis aut theologicis studiis impensum, selectos Doctores, qui honorifico « Magistri ag-

gregati » titulo ornentur; eam peculiari litterarum latinarum cathedra ditavit; in ea theologiae asceticae ac mysticae et theologiae moralis studium, novis propositis annuis praemiis, vehementer promovit; eam denique (ut praecipua amantissimi Patris beneficia perpaucis sed disertis complectar verbis, quae in perennem memoriam hic marmori impressa ingredientibus legenda obiiciuntur) « altiore pro laicis adiecto Religionis magisterio, consociatis Biblico et Orientali Institutis, quo plenior pateret sacrarum disciplinarum palaestra, nova in sede magnificentius constituit ».


Quisnam mortalium, humillima Collegii Romani abhinc fere quatuor saeculis cernens initia, tantum subsecuturum auspicari poterat incrementum? Talis nempe semper fuit eritque Divinae Providentiae oeconomia! ex grano sinapis grandem educit arborem, « quae facit ramos magnos ita ut possint sub umbra eius aves caeli habitare » (Marc. IV, 32). Sed haec arbor sapientissimos habuit satores cultoresque, illa, inquam, sapientia insignes, quae « melior est quam vires » (Sap. VI, 1), in cuius comparatione « omne aurum arena est exigua » (Sap. VII, 1): nam, ut scitis, « Collegium Romanum a Sanctis Ignatio de Loiola et Francisco Borgia conditum » est. Quid igitur mirum quod factum sit sicut ager plenus « cui benedixit Dominus »? (Gen. XXVII, 27). Eique large revera Dominus benedixit: ab angusta miseraque prima sede ad Capitolii radices sita, in domos Frangipane, Salviati et de Tolfa ex ordine translatum, incertas rerum vices diu perpessum est, donec « a Gregorio XIII P. M., censu addito aedibusque a fundamentis excitatis, splendidius instructum est anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio, ac tanti e nomine Patroni nuncupatum: Universitas Gregoriana ».

Illis in aedibus Collegium Romanum « Religioni ac Bonis Artibus » revera diu multumque contulit; illis in aedibus clariora ipsius lumina in Ecclesia Dei super candelabrum sunt posita, maiora ipsius sidera pulcherrima luxerunt luce, speciosiores ipsius flores bonum Christi odorem quaquaversus sparserunt.

Sed, quae est fluxa humanarum rerum conditio, Gregoriana Universitas post tria saecula, aliam hospitalem sedem sibi quaerere coacta est, eamque in aedibus Borromaeis invenit, quas per sexagenariam fere commorationem sibi tam arcte devinxit, ut etiam nunc, huc inde commigrans, haud spernendam sui partem ibi reliquerit.



PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA
Die Inaugurationis.



PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA
Descriptio inferioris plani.

Quod si ab aedificii externis ad interiorem Collegii Romani vitam oculos convertamus, singulas huius fere quater saecularis historiae aetates illustrarunt insignes admodum Doctores, quorum laus in Ecclesia est: Toletus, Suaresius, a Lapide, de Lugo, Taparelli, Perrone, Franzelin, Patrizi, Palmieri, Secchi, Mazzella, Liberatore, Cornoldi, Ballerini, Bucceroni, Wernz, aliique similes (ut de viventibus taceam), talia sunt haec nomina, quibus clarissimum quodque Athenaeum iure in Domino glorietur.

Alumnorum autem, non modo frequentia sed maxime progressus in virtute et scientia prorsus eximii, tantis sane praeceptoribus digni fuerunt. Nam, ut nihil dicam de insignibus magistratibus, viris principibus, integerrimis civibus hic varias disciplinas honestosque mores edoctis, quot praeclari Verbi Dei praecones, quot sacerdotes secundum Cor Dei revera facti, quot divinae gloriae studiosi Praesules, quot illustres Purpurati Patres! quin et duodecim Summi Pontifices, a Gregorio XV ad beatissimum nostrum Patrem Pium XI (1), ex Collegii Romani aulis egressi sunt. Quid vero Christianos heroas, qui, ad altarium honores evecti, hoc Athenaeum purissima sua circumfuderunt gloria, vobis commemorem? vobis, inquam, quibus sane compertum est Collegio Romano nec rosas nec lilia defuisse. Carissima tamen nomina, utut notissima, in tanta hodierna sollemnitate silere nefas est: adsunt nobis et Almae huic Matri de caelo gratulantur Aloisius Gonzaga, Ioannes Berchmans, Ioannes Baptista De Rossi, Camillus De Lellis, Leonardus a Portu Mauritio, Antonius Baldinucci, Rodulphus Aquaviva, Oliverius Plunket, Marcus Stephanus Crisinus, Gaspar Del Bufalo, Robertus Johnson, Thomas Hemerford, Ioannes Wall, Robertus Southwell, cum reliqua purpurea Anglorum Martyrum corona, quorum non ita pridem celebravimus triumphum.

Sed unum prae ceteris nomen nunc profecto vestram occupat mentem, vestroque resonat in ore: Robertum dico Bellarmino, qui pristinas Collegii Romani difficultates angustioribus in aedibus alumnus expertus, magnificentiores dein Gregorianas aedes suis immortalibus « Controversiis » illustravit in aevum, in

(1) Hi Summi Pontifices olim alumni fuere: Gregorius XV, Urbanus VIII, Innocentius X, Clemens IX, Clemens X, Innocentius XII, Clemens XI, Innocentius XIII, Clemens XII, Leo XIII, Benedictus XV, Pius XI.

iis Collegium Romanum sapientissimo est moderatus regimine, in iis mysticas in corde Aloisii dispositas ascensiones venerabundus admiratus est eiusque innocentissimam animam inde ad caelestes usque ianuas paene dixerim est comitatus. Dum vero praeclarissimum hoc Collegii Romani lumen ac decus suprema Sanctorum gloria coruscans nunc tandem venerari laetamur, en Gregoriana quoque Universitas in hac digniore sede quasi in nova luce collocata, ad maiora sese protendens. Eam ergo in perpetuam clientelam Sanctus Robertus suscipere velit, eam sospitem servet, prosperam faciat et roboret, quo utilius in dies Sanctae Sedis instrumentum fiat ad maius Ecclesiae bonum promovendum, ad maiorem Dei gloriam ubique et semper procurandam.

Quod ut felix, faustum fortunatumque sit, de mandato et ex auctoritate SS. Domini Nostri Pii Papae XI mihi peculiariter delegata, Ipsius nomine, postquam has aedes sacro ritu lustravero, huic Universitati, eiusque Superioribus, Professoribus, Alumnis, omnibus demum hic adstantibus et huic sollemnitati ex corde participantibus, Apostolicam Benedictionem impertiar.

SANCTI ET BEATI

qui olim Collegii Romani alumni fuerunt.

Cum Eminentissimus Cardinalis Bisleti in sua, quam rettulimus, oratione inter purissimas Collegii Romani Universitatisque Gregorianae glorias hanc ut primam et praecipuam commemoraverit quod tot tantosque habuisset alumnos Sanctorum vel Beatorum honoribus decoratos, integram hic Eorum seriem retexere visum est, praemisso cuique nomini tempore (saltem proxima quadam ratione computato), quo quisque Collegii Romani scholas frequentavit.

Sancti.

1. — 1561-1563. — S. Robertus Bellarmino, S. I. († 1621), qui in eodem Collegio Romano fuit etiam Professor (1576-1587), Pater spiritualis (1587-1592), Rector (1592-1594).
2. — 1582-1583. — S. Camillus De Lellis, Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis Fundator († 1614).
3. — 1587-1591. — S. Aloisius Gonzaga, S. I. († 1591).
4. — 1618-1621. — S. Ioannes Berchmans, S. I. († 1621).

5. — 1692-1697. — S. Leonardus a Portu Mauritio, O. F. M., « zelo animarum et sacris per Italiam expeditionibus conspicuus » ut de eo dicit Martyrologium († 1751).

6. — 1711-1720. — S. Ioannes Bapt. De Rossi, Canonicus S. Mariae in Cosmedin (Romae), « patientia et caritate in evangelizandis pauperibus insignis » († 1764).

Beati.

1-2. — 1571-1576 circ. — BB. Rodulphus Aquaviva et Petrus Berno, S. I., Martyres in Indiis († 1583).

3. — 1576 circ. — B. Robertus Johnson, alumnus Collegii Germanici in Urbe, dein Sacerdos saecularis in Anglia, ibique Martyr († 1582).

4-7. — 1577-1580 circ. — BB. Rodulphus Sherwin, Lucas Kirby, Gulielmus Hart, Gulielmus Lacey, alumni Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdotes saeculares in Anglia, ibique Martyres († 1581-1583).

8. — 1580-1585. — B. Robertus Southwell, S. I., Scholasticus in Collegio Romano, dein Praefectus studiorum in Collegio Anglorum in Urbe, demum Missionarius et Martyr in Anglia († 1595).

9-18. — 1581-1590 circ. — BB. Thomas Hemerford, Ioannes Munden, Robertus Morton, Richardus Leigh, Christophorus Buxton, Eduardus James, Christophorus Bales *seu* Bayles, Eustachius White, Polydorus Plasden, Ioannes Ingram: alumni Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdotes saeculares in Anglia ibique Martyres († 1584-1595).

19-20. — 1583-1584 circ. — BB. Ioannes Cornelius et Henricus Walpole, alumni Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdotes S. I., Martyres in Anglia († 1594-1595).

21. — 1585-1587. — B. Eduardus Oldcorne, alumnus Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdos S. I., Martyr in Anglia († 1606).

22. — 1595-1597 circ. — B. Ioannes Lockwood, alumnus Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdos saecularis in Anglia per 44 annos, ibique, plus quam octogenarius, Martyr († 1642).

23-25. — 1597-1602. — BB. Richardus Newport, Ioannes Almond, Robertus Watkinson, alumni Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdotes saeculares in Anglia, ibique Martyres († 1602-1612).

26. — 1611-1615. — B. Marcus Stephanus Crisinus *seu* Kőrősy, alumnus Collegii Germanico-Hungarici in Urbe, dein Canonicus Strigoniensis in Hungaria, Martyr Cassoviae († 1619).

27. — 1625 circ. — B. Henricus Morse, alumnus Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdos S. I., Martyr in Anglia († 1645).

28. — 1644 circ. — B. David Lewis, alumnus Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdos S. I., Martyr in Anglia († 1679).

29. — 1650 circ. — B. Ioannes Wall, alumnus Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdos O. Fr. M., Martyr in Anglia († 1679).

30. — 1652 circ. — B. Antonius Turner, alumnus Collegii Anglorum in Urbe, dein sacerdos S. I., Martyr in Anglia († 1679).

31. — 1654 circ. — B. Oliverius Plunket, alumnus Collegii Hibernici in Urbe, dein Archiepiscopus Armachanus in Hibernia, Martyr in Anglia († 1681).

32. — 1684-1696. — B. Antonius Baldinucci, S. I., qui in Collegio Romano philosophiae, magisterii, theologiae curriculum perfecit, dein Missionarius popularis per Italiam zelantissimus fuit († 1717).

33. — 1810 circ. — B. Gaspar Del Bufalo, canonicus basilicae S. Marci (Romae), Institutor Congregationis Presbyterorum a Pretiosissimo Sanguine, qui tamen Collegii Romani scholas frequentavit tempore suppressionis Societatis, dum a sacerdotibus saecularibus regebatur.